

dio impositis, secundum de aliis pro subventione Regni Sicilia a Romano Pontifice imperatis; sed antea supplenda primum est hæc juramenti, ac absolutionis charta, quæ sic habet.

Col. 243. lin. 32. excommunicati fuerunt semel & pluries, quia non solverant procuraciones prædicto domino Archiepiscopo, vel ejus nuncio idem dominus Petrus promisit, & juravit in anima sua, & animas illorum de Capitulo, qui notati sunt in instrumento prædicto solvere, & reddere dicto domino Johanni libras ducentas Astensis monetæ in Ast, vel nuncio domini Archiepiscopi usque ad Dominicam de media Quadragesima, quæ cantatur: *latere Jerusalem*, & imponere collectas per eas personas, quæ possint, & debeant persolvere usque ad prædictum terminum, propter quod dictus dominus Johannes auctoritate prædicta ipsum dominum Petrum pro se, & Ecclesia sua de Cessolis, & Capitulum prædictum e vinculo excommunicationis absolvit, si summam earundem librarum ipsis domino Johanni, vel nuncio suo in dicto termino fuerit persoluta in Ast. Si vero aliqui fuerint contumaces dictus Syndicus per se, & Capitulo promisit sub juramento prædicto compellere eos per poenam suspensionis officii, & beneficii usque ad solutionem debitam, & perfectam. Actum Ast in solario Canonorum Astensium. Testes interfuerunt domini Nicolaus de Brovia, Jacobinus de Ultramontem, & Franceschinus Cachus Not. Et ego Henricus Fornarius Not. palat. interfui, & scripsi.

Illud corrigendum in lin. 27. editi hujus documenti, nimirum ubi legitur nuncii P. Archiep. ibi fuisse scribendum nuncii Rev. Patris domini Archiep., vel initialibus litteris nuncii R. P. D. Archiep.

M C C L X V.

Hæc sunt Capitula facta, & ordinata per Dominum Archiepiscopum Mediolanensem, & per Dominum alium Episcopum Aquensem.

Primo namque statuerunt, quod nullus Presbiter, vel Clericus teneat, vel habeat fornicariam in domo, vel in domibus Ecclesiæ, nec alibi teneat publice concubinam.

II. Item quod nullus Sacerdos, vel Clericus vendat, vel alienet, aut obliget libros, crucem, calicem, vestes sacerdotales, nec terras, seu possessiones Ecclesiæ.

III. Item quod nullus Archipresbiter, vel Præpositus ultra Papienses, vel Presbiter ultra ss. 100. Papienses debitum faciat super bonis Ecclesiæ sine licentia Domini

IV. Item quod nullus Sacerdos, vel Clericus vadat sine veste Clericali, & corona competenti, & qui contrafecerit careat Beneficio Ecclesiastico.

V. Item quod nullus Clericus recipiat ordinem extra suam Dioecesim sine licentia sui Episcopi.

VI. Item quod nullus Presbiter, vel Clericus eligat, vel assumat aliquem in Clericum socium, vel Ministrum in Ecclesia sua sine licentia Episcopi, & qui contrafecerit, Dominus Episcopus ipsum excommunicat in his scriptis.

VII. Item quod nullus Sacerdos ludet ad aliquem ludum alearum, nec illud exercent.

VIII. Item quod nullus Clericus habeat Benefi-

cium, neque Ecclesiam, quam pater ejus administrat.

IX. Item quod quilibet Rector Ecclesiæ quemlibet ex Parochia sua, quem sciat stare publice in adulterio monere debeat, ut infra dies quindecim debeat dimittere adulteram, & redire ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, alioquin ipse denunciaret excommunicatos.

X. Item quod quilibet Minister possit subtrahere cuilibet de Parochia sua Divinum officium, & Ecclesiastica Sacramenta, si jam dicto Ministro noluerit respondere de decimis, & primitiis.

M C C L X X I I I I.

Ardicio de Tridino Decanus Nicosiensis Capellanus R. in Christo Patris D. Uberti S. Eustachii Diaconi Cardinalis, & ad colligendas decimas terræ sanctæ subsidio deputatus nuper in generali concilio Lugdunensi in omnibus partibus Lombardiæ, Marchiæ Tarvisinæ, Aquilegien., & Gradenfis Patriarchatum, & archiepiscopatus Januensis a SS. Patre D. Gregorio Papa X. specialiter deputato ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. Cum SS. P. D. Gregorius Papa X. nos Ardicionem de Tridino Decanum Nicosensem Capellanum R. in Christo Patris D. Uberti S. Eustachii Diaconi Cardinalis ad omnes partes Lombardiæ, Marchiæ Tarvisinæ Aquilegiensis, & Gradenfis Patriarchatum, & Archiepiscopatus Januensis pro colligendis decimis terræ sanctæ subsidio nuper in generali Lugdunensi Concilio deputatis duxerit transmittendos; Nos commissum nobis in hac parte ministerium volentes, & cupientes humiliter, ac fideliter pro viribus exercere, & ut quod ab eodem D. summo Pontifice de præstatione decimarum ipsarum deputatarum subsidio ipsius terræ sanctæ fuit provide, & salubriter in prædicto generali Concilio ordinatum, effectum debitum fortiatur, ut etiam malitiis perversorum hominum quamque personam Ecclesiasticam partium prædictarum cujuscumque ordinis, & conditionis, vel dignitatis existat, quæ decimam ipsam nullo modo, vel non integre secundum æstimationem deputatarum, aut deputandarum ab eodem summo Pontifice, vel de mandato suo ad hoc personarum, sive non in terminis debitis exhibuerit, in ejus exhibitione malitiam adhibuerit, sive fraudem ex his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus, & Ecclesias ipsorum Ecclesiastico supponimus interdicto, quam siquidem sententiam, & illam, quam ipse D. Papa in prædicto Concilio generali publice tulit in omnes, & singulos, qui scienter impedimentum præstiterint directe, vel indirecte, publice, vel occulte, quominus decimæ prædictæ solverentur, subsidium publicabimus, & faciemus ubi, & sicut expedire viderimus per alios solemniter publicari aggravando manus nostras contra ipsos, & ipsorum singulos prout eorum proterviam, & duritiam viderimus promoveri, prorogantes de gratia speciali terminum primæ solutionis, quæ fieri debuit in Nativitate Domini proxime præterita omnibus, & singulis de Civitate, & Diocesi Aquensi usque ad instans festum B. Marchi Evangeliste. Datum in castro

X x